**Symbolum physico-chymicum ... de chao physico-chymicorum catholico naturali, triuno, mirabili atque mirifico, secretissimo: lapidis philosophorum universalis et magni subjecto genuino ac proprio, materiave debita et unica / [Heinrich Khunrath].**

**Contributors**

Khunrath, Heinrich, 1560-1605.

**Publication/Creation**

[Hamburg] : [P. von Ohr for Heirs of H. Binder], [1598]

**Persistent URL**

https://wellcomecollection.org/works/sma9wvpu

**License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

wellcome collection

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org







M 3556
3555 / 2573 / A 1.2
N VI. i
16
6060
K
DR. ERNST DARMSTAEDTER
No. 792
COLLECTION




EX LIBRIS
Dr. ERNST DARMSTAEDTER

70587

# SYMBOLVM PHYSICO-CHYMICVM

*HENRICI KHVN-RATH LIPS: Vtriusq; MED: DOCT:*

# DE CHAO PHYSICO-CHYMI-CORVM CATHOLICO,

Naturali, Triuno, Mirabili atque Mirifico, Secretiſsimo:

*LAPIDIS PHILOSOphorum Vniverſalis & Magni SVBIECTO genuino ac proprio, MATERIAve debita & Vnica.*

Ignorantia & Invidia Calumniæ parentes.

Phy Diabolo!

*Cum Privilegio Sæ. Cæſar. Majeſtatis ad DECENN.*

CIↃ. IↃ. IIC.

Johann Christian Hanemann

IN

# HONOREM JEHOVÆ

AEterni, Sapientiſsimi, Optimi,
Omnipotentis, Infiniti, Miſeri-
cordis, ſolius
DEI:

Vtilitatem PROXIMI SVIq;
IPSIVS Theoſophicam Ca-
tholicam:

*DESPECTVM AN-
TITRINITARIORVM TRIVNI-
TATIS DIVINÆ, Macro & Micro-
Coſmicæ, juſtum; DIABOLI ſquama-
rumq; ejus deteſtandarum, Calumnianti-
um VERITATEM Phyſico-Chymi-
cam, Catholicam, Inconcuſſam,
Phy æternum:*

Edidit SYMBOLVM hoc
HENRICVS KHVN-
RATH LIPS: Vtriuſq; Med.
Doct. Theoſophiæ A-
mator.

SAcræ Cæſareæ Majeſtatis priuilegio cautum eſt, ne quis Opera HENRICI KHVNRATH Lipſ: Med. Doct. tam ſcripta quàm picta, Medicinalia, Chymica, Cabaliſtica, & pleraque alia ſecretiora, Latino ac Germano idiomate, partim aliunde conquiſita, partim á ſe ipſo conſcripta & inuenta, citra præfati D. Khunrath ſuorumve hęredum voluntatem & conſenſum, intra DECEM ANNOS, à prima cujuſlibet editionis die, ullo modo, nec integra, nec aliquam eorum partem imitetur, imprimat; aut alibi impreſſa, intra Sacri Romani Imperii & Domi-

niorum Majeſtatis ſuæ hæreditariorum fines importet, venaliave habeat. Si quis ſecus faxit, confiſcationis Exemplariorum, & decem marcharum Auri puri pœna, Fiſco Cæſareo & Doct. Khunrath, ſuisve hæredibus, ex æquo pendendarum, multabitur: vt latiús in Cæſareo diplomate expreſſum eſt. Pragæ, die 1. Iunij, Anno 1598.

*RVDOLPHVS.*

Ad mandatum S^æ^ Cæſareæ
Ma^tis^ proprium,
A.Benck.

# DOCT. KHVNRATH PHYSICO-CHYMICUM.

QVicunq; vult PHILOSOPHVS eſſe Phyſico-Chymicus, h.e. SAPIENTIÆ DIVINÆ, à JEHOVAH IPSO in Libro NATVRÆ magno Divinitùs ſcriptæ, amator verus; LAPIDEMq; Philoſophorum Phyſico-Chymicum adipiſci Catholicon & Magnum: ante omnia opus eſt, ut teneat MERCVRIVM Philoſophorum VNIVERSALEM.

Liber NATVRAE Macroſcoſmicus.

Revera magnū; quia Vniverſalis.

Quem niſi quisq; integrum inviolatumq; cognoverit, nec

Lapis Phil. ex ☿io Sapientum catholico catholicus, ejusq; fruitio Theosophica, summumNaturæ & Artis BONVM

*non Phyſico-Chymicè* præparare *ſciverit, eoq; uti; abſq; dubio, ob BONVM* Naturæ *&* Artis *SVMMVM in ALCHYMIA conſequendum, peribit.*

☿ij phil. Catholici CHAOS Naturale, Catholicon, Triunum.

*Doctrina autem verè Philoſophica de MERCVRIO Philoſophorum Phyſico-Chymicorum* Catholico *hæc eſt, ut VNVM CHAOS* Naturale, Catholicon, *in Triunitate Eſſentiarum, puta,* Corporis, Spiritus *ac* Animæ; *& Triunitatem hanc in* Vnitate *SVBIECTI ſtatuamus, nec non ad manus habeamus:*

Tria in Vno; Vnum in Tribus.

*Neq; confundentes Eſſentias; neq; coexiſtentiam ea-*

*run-*

*rundem in* *VNO* Subjecto *VNAve RE ſeparantes.*

*Alia eſt Eſſentia* Corporis; *alia* Spiritus; *alia* Animæ; Corpus: Spiritus: Anima.

*Sed Corporis, Spiritus & Animæ VNA eſt RES, in qua hæc tria* ſimul; *æqualis neceſſitas; contemporanea præſentia.* RES VNA.

*Quale* Corpus, *talis* Spiritus, *talis* Anima. *Nam, Humanitus non artificiale* Corpus; *humanitus non artificialis* Spiritus; *humanitus non artificialis* Anima.

Nobis *immenſum* Corpus; *non quidem mole, ſed proprie-*

*tate: quia (ſuo modo) eſt NIHIL*, *et tamen facultatis Vegetabilis*, *Animalis ac Mineralis* ſimul; [a] *de prima* Corporis *Mundi materia, catholicon:* Nobis *immenſus* Spiritus; *quia de Schamajm, h.e.* Spiritu æthereo (von Geiſt-fewrigen Waſſer / wäſſerigen fewrigen Geiſte / oder fewrigen Geiſtwaſſer) *ſivè* [b] *CELO Mundi-primordiali catholico nobis immenſo:* Nobis *immenſa* Anima; *quia ſcintilla ſynopticè-catholica* [c] Animæ *totius VNIVERSI nobis immenſæ.*

[a] De HYLI ſiue Limo Mundi-primordiali.

[b] In principio creavit ELOHIM Celum, Gen. 1. 1.

[c] h.e. NATVRæ.

*Catholicon* Corpus; *Catholicus* Spiritus; *Catholica* Anima:

O Sancta Catholica!

*Et*

*Et tamen non tria Catholica ſeorſim ſeparata, ſed VNVM Catholicon Individuum viſibile, ſenſibusq́; reliquis manifeſtum.* ô ſancta Vnica!

*Sicut non tria humanitus nō artificialia; nec tria* nobis *immenſa* ſeorſim *aut* ſeparata; *ſed VNVM humanitus non artificiale*, et *VNVM (viribus non mole)* nobis *immenſum*.

*Similiter, multipotens* Corpus; *multipotens Spiritus*; [a] *multipotens Anima:*

*Et tamen non tria multipotentia* ſeorſim ſeparata, *ſed VNVM multipotens, Naturâ coadunatum*.

*Ita, Mercurius Corpus;*

a In hoc nimirū exinanitionis ſuæ ſtatu: quæ aliâs Omnipotentis ElOHIm virtus omnipotens.

*Mercurius Spiritus; Mercurius Anima.*

*Et tamen non tres ſunt Mercurij, ſed VNVS eſt Mercurius.*

*Ita, Dominus artis Chymicæ* Corpus; *Dominus artis Chymicæ* Spiritus; *Domina Artis Chymicæ* Anima:

A-ZOTH triunus.

*Et tamen non tres artis Chymicæ Domini; ſed* triunus *ex* Corpore, Spiritu & Anima *conſtans AZOTH, hoc eſt, MERCVRIVS Philoſophorum* Catholi*cus, eſt ALCHYMIÆ* Domi*nus.*

AEqualis omnium triū neceſsitas.

*Quia ſicut ſigillatim unamquamq; CHAEOS noſtri*

*Vni-*

Vniverſalis *partem eſſentialem* (*ſuo modo*) *Mercurium aut Alchymiæ* Dominum *confiteri Philoſophica veritate compellimur:*

*Ita tres Mercurios aut* Dominos *Alchymiæ* ſeorſim ſeparatos *dicere, Catholica veritate apud Philoſophos veros prohibemur.*

Corpus *à nullo hominum eſt neque factum, nec aliundè ſeparatum. Arte humana, nec præparatum vel manibus vel Inſtrumentis hominum; ſed ex* Corpore Macrocoſmi, *hoc eſt,* Terra & Aqua, *per ſe, Naturaliter ortum.*

Spiritũ Mundi hic intellige ętherum, hoc eſt, Schamaim. Scintilla ANIMAE Mundi, hoc eſt, NATVRAE, quęRVACH ELOHIM, ſynopticè-catholica: Lux lucens in tenebris.

Spiritus à *Macrocoſmi Spiritu ſolo eſt, non factus aut extractus artificio humano, ſed Naturæ dumtaxat manu in lucem datus.*

Anima à *Corpore & Spiritu Mundi non facta, non extracta, nec genita, ſed ex ſinu Mundi profundiſsimo (ut* ἐντελέχεια, *h. e.* perfectihabia, Motusve Naturæ perpetuus) *ſcintilla ANIMÆ Mundi, h. e. NATVRÆ, ignea ſynopticè-catholica, procedens.*

*Vnum ergò* Corpus, *non tria Corpora; Vnus* Spiritus, *non tres Spiritus; Vna* Anima, *non tres Animæ.*

*Et in hac CHAEOS no-*

*ſtri*

*ſtri (quod Philoſophi Phyſico-Chymici* MAGNESIAM *ſuam appellant) Triunitate, Naturaliter nihil prius aut poſterius, nihil magis aut minus neceſſarium:*

Magneſia Sapientum.

*Sed totæ tres Eſſentiæ* (a *Naturaliter*) *coëxiſtentes ſibi ſunt, & conneceſſariæ.*

a In CHAO.

*Ita, ut per omnia, ſicut jam ſupra dictum eſt, &* Trinitas in Vnitate, *et* Vnitas in Trinitate *in* b *MERCVRIO Philoſophorum* Catholico *ſtatuenda & habenda ſit.*

Sacroſanctum Triunum OMNIA.

b Tam crudo & coagulato; quàm vivo, currente & ſublimato.

*Qui vult* Philoſophus *eſſe* verus, & *LAPIDEM Phil*m *adipiſci* Catholicum *ac Magnum* Phyſico-Chymicum, *ita de CHAO Phyſi-*

co-Chy-

*co-Chymicorum* Catholico, *MAGNESIA, AZOTH*, *hoc eſt, Mercurio Sapientum Catholico*, Lapidis *Phil^m* Vniverſalis & Magni Subjecto *genuino ac proprio*, Materiave *debita* & *unica ſentiat.*

Et RVACH ELOHIM SAL factus eſt!

*Sed neceſſarium eſt ad Chymicæ artis* Salutem *Catholicam, ut INCORPORATIONEM quoque RVACH ELOHIM, SPIRITVS* DO*MINI*, *qui* Gen. I. 2. *ferebatur ſuper Aquas, fideliter credat, imò ſapienter ſciat, et firmiter ſtatuat.*

*Eſt ergò Philoſophia Veritatis Theoſophica, ut credamus, ſciamus & confiteamur,*

quia

quia *MAGNESIA* ( a Servator Mundi majoris ) *Macrocoſmi FILIVS, RVACH ELOHIM, hoc eſt SPIRITVS DOMINI vel ANHELITVS DEI* b *triunus*, Patris *videlicet*, Filij *et* Spiritus ſancti; (*virtus Divina; Emanatio virtutis Divinæ*) *& MVNDVS* macrocoſmicè *MINOR eſt.*

*RVACH ELOHIM eſt, de Eſſentia SPIRITVS DOMINI (etiam ante ſeculum extantis apud DOMINVM) procedens; Illius*, qui *Gen.* 1. 2. ferebatur ſuper Aquas; *Sap.* 1. 7. replevit Orbem Terrarum; *Et Sapient.* 12. c

*1. eſt*

a Naturaliter, nec non phyſico-artificialiter.

b Eſt n. ELOHIM, h. e. DEORVM, creantium Cœlum & Terrã, RVACH. DEVS & Mundus. THEOCOSMOS. Sanctus, ELOHIM Sanctorũ, RVACH ſive Spiritus: DEVS.

c In omnibus, quæ ſunt.

1. eſt in omnibus; *quiquè factus Corporeus, h. e. SAL SAPIENTIÆ, in ventre & centro Terræ* [a] Virgineæ, *utero nimirum Mundi majoris ſecretiſſimo*; corporale: MVNDVS Macrocoſmicè MINOR, *ex Subſtantia Corporea ſive* Materia prima, *h. e. Terra & Aquâ*, Parentis ſui, *videlicet Macrocoſmi, in ſeculo natus.*

*Perfecti ELOHIM* (Patris, Filij & Spiritus ſancti) *RVACH præfati perfecta ſcintilla ſynopticè-catholica*: *Perfectus* Mundus minor macrocoſmicus, [b] *ex Spermate Mundi majoris MACROCOSMI FILIVS*; A-

nimæ

a Terræ Tohu va Bohu inanis & vacuæ. Gen. 1. 2.

b Res vilis coram Mundo immundo; in conſpectu autē ſapientis prætioſiſsima.

nimæ Mundi Divinæ ſcintil-
lâ ſynopticê Catholica, Ter-
râ & Aquâ Corpore macro-
coſmico, Schamajm, *h. e.*
Spiritu æthereo ſivè *CELO*
mediante, *TRIVNVS*
*ſubſiſtens.*

Æqualis Parenti, *ſecun-
dum Eſſentiam atq; Subſtan-
tiam, Corpore, Spiritu ac A-
nima: minor Parente, ſe-
cundum Individuum, vel
(ut ita dicam) ſuam PER-
SONAM.*

ὁμοούσιος coeſſentialis & conſubſtantialis Mundo majori.

*Qui licet RVACH
ELOHIM ſit* & Mun-
dus minor, *majoris FILI-
VS; non duo tamen, ſed V-
NVS eſt OLEO LÆTI-
TIÆ* Naturali, Catholico,

*Naturaliter & Catholicè MASCHIACH, hoc eſt, CHRISTVS ſive VNCTVS Naturalis; Naturalis &* ( poſt Præparationis ſuæ Paſsionem ) *quoq; Phyſico-artificialis SERVATOR* [a] *Mundi majoris Catholicus.*

a Et omnium quæ de eo ſunt.

*VNVS autem non confuſione RVACH ELOHIM in Materiam primam, ſed aſſumtione Materiæ primæ in RVACH ELOHIM,* Schamajm, *ut jam antea dictum, mediante.*

*VNVS omninò non confuſione Subſtantiæ, ſed Vnitate* Individui, *ſivè (ita loquendo) ſuæ PERSONÆ.*

*Nam*

*Nam, ſicut Anima rationalis & Caro*, mediante Spiritu ( *Luc.* 1. 47. 1. *Theſſal.* 5. 23. *Hebr.* 4. 12.) *VNVS eſt HOMO; ita RVACH ELOHIM,* & [a] Sperma Mundi majoris *primateriale, mediante* Schamajm, *VNVS eſt* Unctus, *hoceſt,* [b] *CHRISTVS* Naturalis *Catholicus; SERVATOR Mundi majoris, & REDEMTOR ejusdem à ſuperfluitatibus contra Naturam puram; Macrocoſmi FILIVS: MAGNESIA.*

*Qui, quando Phyſico-Chymicè paſſus eſt pro* Salute

*Mun-*

[a] Ex Terræ nimirum puriſsimo, & Aquę ſubtiliſsimo.

[b] CHRISTI IHSVH in Natura EFFIGIES naturalis.

*Mundi* [a] *majoris prædicta; deſcendit ad inferos ſepulchri ſui Phyſico-artificioſiſſimi; Tertia ejusdem artis ſæpè præfatæ honeſtæ* Operatione *reſurrexit à mortuis, ſinè macula & corruptione:*

*Aſcendit ad Plusquamperfectionis & Clarificationis Celos: ſedet ad dexteram potentiæ atq; virtutis Macrocoſmi,* Parentis multipotentis; *in Cryſtallina ſerenitate & Carbunculi rubore; totus,* Corpore, Spiritu *ac* Anima, *quaſi Quint-Eſſentialis:*

*Inde venit phyſico-artificialiter judicare ſanos atq; ægrotos, et micro et macrocoſmicos.*

[a] Imô etiam pro Humani generis ſalute Phyſico-Chymica, Divino-Magica, & Chriſtiano-Cabaliſtica; ſicuti in quarta AMPHITHEATRI SAPIENTIæ Aeternæ &c. mei figura docui.

*Ad cujus adventum omnes omnium Elementorum fructus, puta Vegetabilia, Animalia & Mineralia, examinari, probari & judicari habent, in* Corporibus, Spiritibus & Animabus *ſuis.*

*Et reddunt (quodlibet ſuo modo) vel de bonitate, vel de malignitate propria, teſtimonium.*

*Et bonum, quod eſt in ipſis, it in ſtatum glorificationis; quod verò malum, in ignem conſumtionis.*

*Hæc eſt de MERCVRIO Philoſophorum Univerſali doctrina Sapientum Catholica & vera; quam niſi quisq; Chymicorum fideliter* Non niſi SIC Catholicus ad Artem perveniet.

Catho-licus ex Catholi-co, Ca-tholicè Catholi-con, in u-ſum Ca-tholicon

*crediderit, imò ſciverit, firmiterq́; ſervaverit; nec* Philoſophus Phyſico-Chymicus *verus eſſe, nec LAPIDEM Philoſophorum* Catholicon & Magnum *unquam adipiſci poteſt.*

THEOSOPHICE dixit Doct: KHVNRATH.

Die 12. Decemb. circa Octavam Veſpertinam, Anno 1597.

*Impulſu*

*RVACH HHOCHMAH-EL!*

*Hallelu-IAH! Hallelu-IAH! Hallelu-IAH!*

*Phy Diabolo!*

*AMEN.*

Ars non habet oſorem, niſi ignorantem.

*Diſcat qui neſcit;*
*Aut taceat, aut abeat.*

*DIXI.*